

quibus jam olim concessa asserti debet; cum, quamvis hujus veritatis fides olim non esset necessaria, tamen revelatio non erat de re modo futura aut præfiguranda, sed de re jam existente, et tantum apertius proponenda. Sed imprimis apertam cognitionem *Patriarchis, Prophetis*, aliisque sanctitate eximii concessam suadent tum superni luminis copia, tum aliorum mysteriorum prænotitia illis divinitus data, tum Patrum testimonia, inter quos CYRILL. ALEX. L. 1. contra Julian. (opp. t. 6. part. 2^a. p. 20.) AMBR. L. 1. de Cain et Abel. c. 8. n. 30. AUG. L. 2. de Trin. c. 11. et cont. Maximin. L. 2. n. 7. eam notitiam Abrahamo vindicant; EPIPHANIUS VERO L. 1. adv. hæreses hæc. 5. (opp. t. 1. p. 18. C.) universim sic scribit: *Una Trinitas semper in illa singulari Divinitate nuntiata, creditaque ab illis est, qui cæteris antecelerent, cujusmodi Prophetæ, atque eximia sanctitate præditi homines fuerunt.*

Deinde vero subobscuram notitiam penes *Scribas* saltem multos extitisse, probant tum eorum in perscrutandis Scripturis, et indagandis etiam minutis solertia et studium, tum Rabbiorum ante Christum natum celeberrimorum testimonia apud Galatin. 1. cit.; unde sufficiat, binas in Isaia c. 6. commentationes referre, alteram R. Simeonis: *Sanctus hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus sanctus*; alteram R. Jonathæ: *Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus.*

Demum vel nullam, vel omnino imperfectam ad vulgum Judæorum pervenisse, probant tum modernorum constans circa hoc mysterium error, tum œconomia divina ratio.

Conf. Apertam *Divinitatis Messiaë* notitiam 1^o. Judæorum *classi* convenisse, colligitur ex illorum Patrum sanctorum desiderio, quod ipse Christus Matth. 13. 17. et Joan. 8. 56. declarat; subobscuram *Legisperitis* negari non posse, demonstratur tum ex Christi monito, quo Joan. 5. 39. veritas remittit ad scrutandas Scripturas; tum ex traditione per antiquiores Rabbinos exposita de Messiaë venturi Divinitate: sed Messiaë incarnati Divinitas supponit *Trinitatis* mysterium, nec sine hoc cognosci potest; ergo.

288. *Observe.* Num et *Gentilibus* mysterium hoc innotuerit, quæri quoque hic solet; sed pro hujus quæstionis affirmatione nulla admodum extant solida fundamenta. Nam 1^o. quæ pro Patre et Filio in divinis proferuntur ex oraculis magicis Zoroastri, supposititia plane sunt, aut ab Arianis assuta: 2^o. Vulgaris illa *Mercurii Trismegisti* parœmia: *Monas genuit monadem*, et in se suum reflexit ardorem; vel rursus a Criticis inter spuria rejicitur, vel de creatione mundi, non autem de generatione filii intelligitur: 3^o. Numerus ternarius, qui ab *Aristotele* et *Pythagora* commendatus dicitur, a præstantia arithmetica, minime autem a Trinitatis symbolo apud eosdem laudem tulit: 4^o. Quæ demum ex *Platonis Timæo*, aliisque ejusdem vel sequacium libris sive de Verbo, sive de pluralitate in divinis producuntur, ea vel inducunt plures Deos, inter quos *Tagaton* sit primus et summus; vel commode exponuntur de ideis aut attributis divinis sine personali distinctione, quæ ipsa tamen notitia non sit hausta ex humana ratione, sed ex Judæorum libris aut commercio. Quod *Sibyllarum* carmina, si tamen ea jam genuina habemus, attinet, tametsi qualemcumque de Divinitate Christi cognitionem in illis probent, de præsentis tamen mysterio his Vatibus parum admodum, reliquis autem *Gentilibus* ferme nihil aperuerunt.

ARTICULUS II.

AN MYSTERIUM SS. TRINITATIS CHRISTIANIS ANTENICENIS FUERIT COGNITUM?

289. *Nota.* Quo tempore definita est in Concilio Nicæno contra Arianos in Christi Divinitatem fides, pervulgatum etiam fuisse dogma de pluralitate *Personarum* cum singularitate divinae essentialis, facile tribuunt *Hæretici* illi, qui memorata Synodi symbolum impugnant, unumque vel alterum illius ætatis Patrem, quantumvis plane invitum, ad suas partes rapere frustra conantur. Num vero et prioribus Ecclesiæ seculis fides eadem ac professio fuerit, acrius ab iisdem ac speciosius disputatur. Quæ quidem quæstio, cum et ad traditionem, dogmatis antiquissimam, et ad Patrum sanctissimorum orthodoxiam a calumniis vindicandam pertineat, operæ pretium est, ut hic exponatur.

290. *Dico I.* Patres trium priorum seculorum universim crediderunt et professi sunt mysterium Trinitatis.

Prob. 1^o. EX CONCILII. DIONYSIUS-ALEX. Concilii Alexandrini contra *Sabelium* celebrati verba referens, in synodica epist. contra *Paulum Samos.* de fide Trinitatis Catholica ait (Labb. t. 4. p. 854): *Sic confessi sunt SS. Patres, et ut confiteremur ac crederemus, nobis tradiderunt.* CONCIL. ANTIOCHENUM I. contra *Paulum Samos.* coactum, professionem fidei suæ de Trinitatis mysterio ita orditur (Labb. t. 1. p. 843.): *Decrevimus, fidem scripto edere et exponere quam a principio accepimus, et habemus traditam et servatam in Catholica et sancta Ecclesia usque in hodiernum diem.* ALEXANDER ALEXANDRIÆ Episcopus in synodica epistola Concilii Alexandrini, in quo *Arius* depositus fuit, ad Alexandrum Byzantinum ita de Arii errore scribit (Labb. t. 2. p. 18. C.): *Istorum Hæreticorum impietatis faeces, hi qui nuper exorti Filium Dei ex nihilo ortum asserunt (quippe sunt velut stolones occulti ex illis nascentes) animis hauserunt.* In epistola autem synodica Patres Concilii CONST. I. ita de sua ac Nicæna fide loquuntur (Labb. t. 2. p. 964. B.): *Ista fides tum a nobis, tum a vobis, tum ab omnibus qui Verbum veræ fidei non pervertunt, approbari debet; quippe cum et antiquissima sit, et lavacro Baptismatis consentanea, et nos doceat credere in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti etc.*

2^o. EX PATRIBUS. ATHAN. ep. 1. ad Serapion. n. 32. exposito et probato Trinitatis mysterio subjungit: *Consentiunt igitur in hujus rei demonstrationem sacra Littera, ... sic Sanctorum doctrina colligitur, et una fides hæc est Ecclesiæ Catholicæ.* BASIL. L. de Spir. S. c. 29. n. 71. probans traditiones etiam non scriptas esse tenendas, et inter has dogma de Divinitate Spiritus sancti referens ait: *Quam qui ab initio statuerunt, tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, ipsam longa consuetudine in Ecclesiis irradiarunt.* His addi meretur BASILII DIACONI, et reliquorum Monachorum ante Concilium Ephesinum I. ad Theodosium et Valentinianum directa supplicatio seu exhortatio, ubi hæc leguntur (Labb. t. 3. p. 425.): *Et primo quidem ab Apostolorum Principe Petro, secundum cognitionem quam divinitus perceperat, hanc palam confitente, posteritatis tradente: Tu es*

Christus Filius Dei vivi; a Jacobo Apostolo et Archiepiscopo, Joanne Apostolo et Evangelista, reliquisque Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, atque omnibus, qui consubstantiali Trinitati crediderunt et credunt. etc.

291. *Dico II.* Speciatim insigniores priorum seculorum Patres eandem fidem ac professionem publicis etiam litteris ediderunt.

Prob. Percurrendo tria secula, referendo Patrum testimonia, eaque vindicando, ubi opus est.

IN SEculo I. S. CLEMENS Papa in epist. 1. ad Corinth. n. 46. ait. *An non unum Deum habemus, et unum Christum, et unum Spiritum gratiae in nos effusum; cum quibus verbis convenire videntur, quae Basilius L. de Spiritu Sancto c. 29. n. 72. eundem Clementem laudans refert: Vivit Deus, et Dominus Jesus-Christus, et Spiritus sanctus.* In epist. 2. n. 2. dicit: *Fratres, ita sentire nos oportet de Jesu Christo tanquam de Deo, tanquam de Judice vivorum et mortuorum.* S. IGNATIUS Mart. in epist. ad Magnes. n. 13. scribit: *Studete ut confitemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia quae facitis, prospere vobis succedant carne et spiritu, fide et charitate in Filio, et Patre, et Spiritu sancto...; subjecti estote Episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo, et Patri, et Spiritui sancto.* In ep. ad Ephes. ipso in limine, Jesum Christum vocat *Deum nostrum*, et n. 7. *in carne Deum.* In ep. ad Smyrn. (ap. THEODORET. Dial. 1. p. 33.), Christum dicit *Dominum nostrum, Filium Dei secundum divinitatem et potentiam.* De S. POLYCARPO Ecclesia Smyrn. in epist. apud Euseb. L. 4. Histor. Eccles. c. 15. refert hanc morti ab eo praemissam orationem: *Pater unigeniti et benedicti Filii tui Jesu Christi... benedico te, qui me in hunc diem perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio et calice Christi tui... in incorruptione Spiritus sancti... Quamobrem de omnibus te laudo, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu gloria nunc et in secula seculorum.* Similiter ipse in epist. ad Philippenses n. 12. scribens precatur.

Si ais 1º. CLEMENS et POLYCARPUS Patrem in divinis vel solum, vel autonomastice vocant *Deum*; Filium vero aut *Dominum*, aut *Pontificem sempiternum* duntaxat. 2º. IGNATIUS in epist. ad Magnes. Filium dicit *Patri subjectum*; in epist. ad Smyrn. n. 1. Christum appellat *Filium Dei secundum voluntatem et potentiam* 3º. Scriptores hi omnes nihil de Spiritus sancti Divinitate commemorant.

R. Ad 1ºm. Pater speciali titulo *Deus* dicitur, quia est fons et origo Divinitatis; unde haec antonomasia Personae distinctionem, non autem exclusionem Divinitatis ab aliis Personis indigitat. Vox *Dominus*, et articulo insignita apud Graecos *ὁ κύριος*, in Christiana professione nihilo quam *Dei* nomen communior aut inferior est, ut ostendit S. CHRYSOST. orat. 5. contra Anomaeos, et ex usu sacrarum Litterarum a 70. Interpretibus versarum probat; ubi *Deus* pro Eloha, Adonai seu Dominus pro Jehova usurpatur. Filius denique *Sacerdos* dicitur ratione humanitatis, *sempiternus* propter divinam naturam.

Ad 2ºm. Christus quomodo subjectus Patri dicatur, ab Ignatio etiam exprimitur addito, *secundum carnem* seu humanitatem: secundum eandem etiam appellatur *Filius Dei secundum voluntatem*, ut ex ipso contextu constat,

loquente de Incarnatione Filii Dei, et respiciente ad illa Archangeli verba: *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*; Incarnationem autem per voluntatem et potentiam Dei factam esse, nemo negat. Si quis tamen verba IGNATII etiam de generatione aeterna accipi contendat, intelligenda sunt eatenus, quod Filius voluntarie, et non coacte sit genitus, ac procedat a Patre non invito, nec infirmo, sed volente ac potente; non autem quod ex voluntate Patris antecedente ac deliberatione, aut ex potentia tanquam creaturarum principio procedat.

Ad 3ºm. Spiritus sancti Divinitas non obscure exprimitur per aequalitatem cum Patre et Filio, quae per *unitatem, dominium et gloriam*, Spiritui sancto, sicut et reliquis Personis asserta, designatur.

292. IN SEculo II. S. JUSTINUS M. in Apolog. 2ª. (al. 1ª. n. 6.) ait: *Fate-mur, nos talium Deorum esse expertes et atheos: sed non verissime illius Dei Patris videlicet justitiae et castitatis, et virtutum omnium, et ab omnis vitii mixtione et labe alieni expertes; verum hunc ipsum, et qui ab eo venit... Filium, et Spiritum sanctum colimus et adoramus.* Addit ibid. n. 61. baptizari Christianos in nomine rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei ac servatoris Jesu Christi, et Spiritus sancti. S. IRENEUS L. 4. contra Haeres. cap. 10. n. 1. sic enuntiat: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terra seminata, et ab Apostolis, et a Discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in UNUM DEUM PATREM omnipotentem, qui fecit caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt: et in UNUM JESUM CHRISTUM FILIUM DEI incarnatum pro nostra salute: et in SPIRITUM SANCTUM, qui per Prophetas PREDICAVIT dispositiones Dei etc.* Idem L. 4. c. 18. (al. 20. n. 3. 4.): *Et quoniam Verbum, id est, Filius semper cum Patre erat... quoniam autem et Sapientia, quae est Spiritus, erat apud eum ante omnem constitutionem... Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit et aptavit omnia.* ATHENAGORAS a Methodio laudatus Philosophus Christianus in sua Legat. pro Christianis, n. 10. ait: *Quis igitur non miretur, cum audiat nos, qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum sanctum, eorum in unitate virtutem et in ordine distinctiones explicantes, atheos vocari?*

Si ais 1º. JUSTINUS in Apolog. 2ª. (al. 1ª.) vocat Filium secundam potestatem, et Patrem primum Deum; in Dial. cum Tryph. n. 127. docet Filium esse genitum a Patre, *virtute et consilio*; ibid. n. 61. sic esse genitum, *sicut ignis accenditur ab igne.* 2º. IRENEUS L. 2. contra Haeres. c. 47. (al. 28. n. 8.) dicit, Patrem *supra omnia esse, et Filio majorem*; et L. 3. c. 8. n. 3. *praecipisse Verbo* creationem mundi: rursus vero L. 2. c. 47. (al. 28. n. 6.) Filio Dei ignorationem extremi judicii tribuit. 3º. Uterque statuit Patrem esse *invisibilem*, Filium vero *visibilem*; hunc ipsum fuisse *ministram Patris*; Patrem esse *Conditorem universitatis*, non Filium. 4º. ATHENAGORAS l. cit. docuit substantiam Filii prius fuisse in Patre, quam propriam haberet hypostasim per generationem; produisse Verbum ut esset creaturarum actus, easque e nihilo produceret; esse duntaxat *rationem ac mentem* Patris, ac proinde non distinctum a Patre.

R. Ad 1ºm. Pater est *primus*, et Filius *secundus* ratione ordinis et originis, non ratione dignitatis et naturae divinae. Filius dicitur genitus *virtute*, sumendo hanc pro fecunditate; et *consilio*, sumendo hoc pro intellectu et

ratione, ac opponendo cæcæ necessitati. Paritas illa non omnimoda de igne translata etiam est in Symbolum Nicænum: *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; stat autem in eo quod, sicut ignis accendit ignem sine sui diminutione, ita Pater generet Filium sine diminutione sui et alteratione.

Ad 2^{um}. Pater super omnia est, et major Filio ratione humanitatis, non autem Divinitatis: nisi forsitan intelligatur sola originis prioritas, quæ tamen majorem perfectionem in divinis non involvit. Per præceptum Dei dicitur creatus mundus contra Gnosticos, qui hunc conditum dicebant contra voluntatem Dei supremi; quin tamen illud aliud sit præter voluntatem creandi mundi, Filio ipsa generatione æterna communicatam. Christus ignoravit diem iudicii, non ut Deus, sed ut homo; non tamen quasi humanitas Christi hac cognitione caruerit, sed eo tantum sensu, quod ea intelligentia non fuerit orta ex vi humanitatis nativa, sed ex divinitatis natura unita.

Ad 3^{um}. Utraque Persona a Patribus secundum suam naturam asseritur *invisibilis*, Filius autem solus *visibilis*, visus et apparuisse sub assumpta forma in Lege veteri dicitur, quia ad ipsum spectabat Legis dispensatio, et hominum redemptio; ac præterea ratione proprietatis suæ mitti poterat Filius, non autem Pater. Eadem ex ratione Filius vocatur *minister*, quo tamen nec minima servitutis aut subjectionis umbra admittitur; unde et Irenæus L. 4. c. 17. (al. 7. n. 4.) illud vocat *copiosum et inenarrabile ministerium*. Per *Conditorem universitatis* intellexerunt Patres Personam illam, cui per appropriationem tribuitur omnipotentia et mundi creatio; unde absque læsione Divinitatis recte Patri, non Filio, hoc prædicatum cedit.

Ad 4^{um}. Per illud prius non intelligitur prioritas temporis aut dignitatis, sed prioritas ordinis ac originis, et præterea indicatur unitas essentiae ac substantialis. *Processio* Verbi juxta Athenagoram duplex est: alia ad intra et æterna, qua Verbum nascitur; alia ad extra et temporalis, qua mundus creatur. Posterior impropria est et metaphorica in eo fundata, quod omnia per Verbum facta sint, et creatione mundi ad exterius verbum *Fiat* confecta, interius ac divinum Verbum fuerit manifestatum; quæ manifestatio latentis et absconditi Verbi quasi generatio ejusdem dici potest: atque de hac loquitur Athenagoras. Denique Christianus hic Philosophus Verbum non dixit *rationem ac mentem Patris*, sed *Deum, cum sit æterna mens, habuisse in se ab æterno λόγον*, hoc est, rationem seu verbum aut sermonem, cum æternum sit *rationalis*; quibus ex verbis nihil adversatur. Quanquam a Patre potest indistincta dici mens ac ratio substantialis, non autem notionalis, quæ Verbo propria est.

293. IN SEculo III. S. CLEMENS ALEX. L. 3. Pædagogi c. 12. ita finit: *Gratias agamus soli Patri et Filio, Filio et Patri, Pædagogo et magistro Filio, una cum sancto Spiritu per omnia uni..... Qui et undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus; cui gloria nunc et in secula seculorum. Amen.* S. DIONYSIUS ALEX. in ep. apologetica ad Dion. P. M. n. 6. ita scribit: *Pluribus explicui quæ veriora erant, variis excogitatis argumentis, quæ et tibi in alia epistola exposui; in quibus mendacii convici etiam illud quod adversum me proferunt crimen, me scilicet non asserere Christum esse Deo consubstantialem.* TERTULLIANUS L. de Pudicit. c. 21. ait: *Est Trinitas unius*

Divinitatis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. L. contra Praxeam c. 25. *Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paraclete tres efficit coherentes, alterum ex altero: qui tres unum sint, non unus.* Idem L. 3. contra Marcion. c. 16. scribit.

Si ais 1^o. CLEMENS ALEX. L. 5. STROM. Filium vocat *Sapientiam primo a Deo creatam*; L. 7. (p. 703. A.) dicit eundem *voluntati Patris servire*; ibid. (p. 702. A.) docet *naturam Filii esse soli omnipotenti propinquissimam*. 2^o. DIONYSIUS ALEX. in ep. ad Euphranorem et Ammonium scribit, *Dei Filium esse opus quoddam et factitium*: item *neque natura proprium, sed peregrinum et secundum a Patre*: denique comparat Patrem ad Filium, sicut *agricolam ad vitem, fabricatorem ad navim*. 3^o. TERTULLIANUS L. contra Hermogen. c. 3. docet, Deum non fuisse *ab æterno Patrem*, sicut nec ab æterno Dominus est aut *Judex*. L. contra Prax. c. 6. et 7. docet, *in creatione mundi conditam fuisse Personam secundam et Filium*; hunc factum esse *parem Patri*; accepisse *perfectam nativitatem*. Ibid. c. 8. et 9. scribit Filium procedere a Patre, ut *radium a sole, fluvium a fonte*; ipsum Patrem esse *totam substantiam*, Filium vero *derivationem totius et portionem*. 4^o. Photius de CLEMENTE Hypotyposeon auctore ait (cod. 109.): *Etsi autem recte in quibusdam sentire visus est; in aliis rursus impie omnino fabuloseque disserit.* De DIONYSIO S. Basilii in epist. 41. (al. 9. n. 2.) scribit eum, dum vehementius oblectatur Sabellio, in contrarium errorem esse inflexum. Gennadius etiam L. de dogm. Eccles. et Rufinus quosdam circa Trinitatem in eodem errores notant.

R. Ad 1^{um}. Vox *creatum*, more apud Veteres non inusitato, usurpatur pro *genito*, vel tribuitur sapientiæ, quatenus in rerum creatione ad hominum captum descendit, quo sensu sapientia *creaturarum primogenita* ab Athanasio Or. 3. (al. 2.) contra Arian. appellatur. Filius Patris voluntati *servire* dicitur, quatenus voluntatem Patris facit, ab eodem cum divina essentia sibi communicatam. *Natura* Filii dicitur *Omnipotenti*, scilicet Patri, *propinqua*, vel sumendo naturam pro hypostasi, uti etiam ALEXANDER Episc. Alex. in epist. synodica, et SYNESIUS hymn. 3. v. 219. usurparunt; vel sumendo propinquissima pro ipsissima seu una et eadem natura. Pater autem *solus* omnipotens dicitur, quia est Deus, et Deus est solus omnipotens; non autem quod sit sola omnipotens Persona, cum L. 3. Pædag. c. 7. et Filius omnipotens appelletur.

Ad 2^{um}. Scripsit hanc epistolam S. DIONYSIUS ad Episcopos quosdam Pentapoleos in superiore Lybia sententias Sabellii amplexos, qua, ut negantes Filium et Patri humana imputantes contunderet, Christi humanitatem probavit, et tum Filii Divinitatem, tum a Patre distinctionem ostendit. Accepta hac epistola, ejus auctorem Pentapolitani detulerunt ad Dionysium Rom. P., et accusarunt 1^o. quod in ea scripsisset Christum non semper fuisse, et Patrem nominasset aliquando sine Filio: 2^o. quod non scripsisset Filium esse genitum ex substantia Patris: 3^o. quod Verbum dixisset a Patre esse creatum. Contra has criminationes scripsit S. DIONYSIUS ALEX. quatuor Apologiæ libros, etiam ab Eusebio L. 7. Histor. Eccles. c. 26. laudatos, in quibus ex eo refutat 1^{um}. quod hæc affirmavit de Christo ut homine, ut ex Incarnationis mysterio ostenderet divinarum distinctionem Personarum; cæterum profitetur nomina Patris et Filii esse inseparabilia, et Verbum Patri semper coexistisse: 2^{um}. quod rursus hæc asseruerit de humana natura sola, et credit Patri Filium consubstantialem: 3^{um}. quod ita scripsisset de Verbo secun-

dum naturam assumptam, ut ostenderet Filium, non Patrem, esse incarnatum. Ex quibus constat nec verba objecta intelligenda esse de Filio Dei secundum naturam divinam, nec ex allata epistola sola colligendam *S. Patris* mentem, nec ejus sententias accipiendas secundum verba, sed secundum circumstantias occasionis, quæstionis et scopi.

Ad 3^{um}. Negat TERTULLIANUS Deum ab æterno esse Patrem respectu creaturarum, non vero respectu Filii divini. Posterius patet tum ex dictis, tum ex L. contra Prax. c. 8., ubi ait: *Sermo et in Patre semper; sicut dicit: Ego in Patre: et apud Deum semper; sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum: et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia ego et Pater unum sumus.* Prius vero intelligitur ex instituto scriptionis; contendebat enim HERMOGENES Deum ab æterno fuisse Dominum, ideoque aliquid semper fuisse, cujus Dominus esset; ut hac ratione evinceret materiam esse Deo coæternam. Ad hoc refellendum TERTULLIANUS distinxit prædicata Dei duplicia; alia essentiæ, uti est substantia, spiritus etc.; et hæc semper fuisse declarat: alia potestatis, uti sunt attributa Judicis, Domini etc.; et hæc dicit cœpisse in tempore, quando scilicet ea, contra vel in quæ potestas exerceretur, esse cœperunt. His vero addit etiam prædicatum Patris respective ad creaturas sumptum, uti usurpabatur a Moyse Deuter. 32. 6. populum Israelis alloquente: *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Quæ contra Prax. c. 6. et 7. dicta sunt, spectant Verbum externum, non internum, seu Verbum relative ad generationem ejus externam et visibilem, non internam ac invisibilem. Ut enim supra de Athenagora notavimus, antiquorum plures, præter generationem Verbi æternam, ac Deo immanentem, admittebant sensibilem, et in tempore factam, qua Verbum divinum vel exteriori creationis verbo *Fiat* fuit manifestatum, vel externa quadam specie, et corporali forma assumpta paulo ante mundi opificium apparuit, et omnia creavit. Atque in hac acceptione dicitur sub mundi creationem Persona secunda *condi*, hoc est, manifestari; *feri par*, hoc est, par exteriori demonstrari; accipere *nativitatem*, scilicet exteriorem, quæ etiam, quatenus Verbum, quod ante erat absconditum et latebat, propalabat, *perfecta* appellatur.

Quod porro comparationes c. 8. allatas attinet, eadem ipsæ ac similes etiam a Postnicænis Patribus sine suspitione erroris usurpabantur, cum in iis paritas omnimoda non intenderetur. Usus autem iisdem est TERTULLIANUS, ut stantem cum unitate essentiæ distinctionem Personarum ostenderet. Tandem c. 9. Pater dicitur *tota substantia*, Filius *derivatio totius et portio*, non quasi pars tantum divinæ naturæ foret in Filium transfusa; cum sæpius hic et alibi testatus sit TERTULLIANUS, naturam divinam divisioni aut partitioni non subjacere: sed quia Pater est fons ac principium Personarum, Filius autem a Patre genitus et procedens. In hac autem principii ratione reponebatur ab Antiquis aliqua dignitas et auctoritas, ob quam PATRES SARDICENSIS in epist. synod. (Labbe. t. 2. p. 694. E), ATHAN. Orat. 4. contra Arianos n. 58. HILARIUS L. 9. de Trin. n. 53. seqq. et alii verba illa Christi: *Pater major me est*, etiam de Christo, quatenus Filius Dei est, accipi posse cœnsuerunt. V. PETAVIUM de Trin. L. 3. c. 1. n. 8.

Ad 4^{um}. PHOTIUS ipse, quæ in Hypotyposeon libris damnat, non absolute tribuit CLEMENTI, dum ait (l. cit.): *Quamquam et alia nugatur, seu ipse, seu quis alius ejus personam indutus.* Hinc nec ausi sunt Ariani, e scriptis hujus Patris

pro se aliquid unquam laudare; et Rufinus in Apol. Origenis innuit scripta CLEMENTIS esse interpolata. Basilius, et eum secuti Gennadius ac Rufinus vel Dionysii apologiam non viderunt, vel ad solam Ammonio et Euphranori scriptam epistolam, illiusque duntaxat verba, omissa occasione et scopo, attenderunt. Unde potius credendum est Athanasio, qui, fragmentis Apologie prolatis, Dionysium singulari libro vindicavit, et Facundum Hermianensem L. 10. postea sequacem habuit.

294. *Observa.* Equidem haud diffitemur duriuscula quædam in Patribus occurrere; sed ostendimus illa, attentis propriis circumstantiis, facile emolliiri posse. Cæterum addimus, quæ HERON. in simili materia de Veteribus in Apolog. L. 2. n. 17. contra Rufin. scripsit in hæc verba: *Non statim illos Hæreticos judicabo: fieri enim potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel ab imperitis Librariis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certe, antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quedam et minus caute locuti sunt, et quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.* Quin nec unius alteriusque Antiquioris error, si etiam apertus foret, nec excusandus, nostro instituto repugnaret; quandoquidem *legitima Traditio* non paucorum, sed communi Patrum ac Fidelium sensu nitatur. Atque hinc nec laudavimus ORIGENEM, nec de ejus orthodoxia solliciti sumus. Usus quidem ejus testimoniis fuit ATHANASIVS in L. de Decr. Synodi Nic. contra Arianos: Apologiam pro eodem scripserunt EUSEBIUS PAMPHILI et RUFINUS, præter Recentiores Joannem Picum Mirandulanum, Sixtum Senensem, Jacobum Merlinum, Genebrardum, Petrum Halloix, et alios: proferuntur etiam non tantum ex libris a Rufino interpolatis, sed ex iis quos contra *Celsum* scripsit genuinis, orthodoxæ sententiæ. Sed fidem ejus admodum suspectam fecerunt, et damnarunt erroris non tantum HERON. in epist. 124. ad Avitum, EPIPHAN. in epist. ad Joannem Hierosolymit., AUGUSTINUS L. de Hæres. c. 43., Justinianus Imp. in epist. ad Mennam; sed et Alexandrina Synodus et Concilium Generale quintum Præterea Petavius L. 1. de Trin. c. 4., Huet. in Origenianis L. 2., Norisius de Syn. V. c. 2., et Natalis Alexander hist. Eccles. Sec. 3. Diss. 16. ex variis ejus scriptis, etiam contra *Celsum*, sententias aperte repugnantes Trinitatis mysterio recitant; quos, si lubet, consule.

ARTICULUS III.

QUINAM PRÆCIPUE HÆRETICI CIRCA MYSTERIUM SS. TRINITATIS ERRAVERINT?

295. *Nota.* Triplex circa hoc mysterium error a S. GREG. NAZ. OP. 2. 21. et 22. notatur: prior Divinitatis contradictionem, alter distractionem, posterior diminutionem aut negationem inducit. Ordinem ita errantium statuere quidem ex *Judeis*, *Gentilibus* et *Mahumetanis* licet: quoniam vero nec errantes hujusmodi, utpote a baptisate ac fide Christi alieni, ad Hæreticorum classem referri possunt, nec errores isti tam ex Trinitatis mysterio, quam aliunde ortum habent, pluribus hic de illis agere non videtur ad propositum. His itaque prætermissis, aliorum duntaxat *Hæreticorum* errata secundum memoratam classium seriem breviter exponemus, qui vel distinctionem